

Georg Heinrich Götze


**Georgi[i] Henrici Goetzi[i] D. Svperint. Lvbec. Kpophilos : Sev De Ervditis Hortorvm Cvltoribvs ; Von Gelehrten Gärtnern**

Recvsa, Lubecae & Lipsiae: Haasius, 1726

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn83011680X>

Druck Freier  Zugang





*B6-1053<sup>1-31.</sup>*

Ex  
Bibliotheca  
Academiae  
Rostochiensis

2.

3.

4.

7.



GEORGI HENRICI GOETZI  
D. SUPERINT. LVBEC.

ΚΗΠΟΦΙΛΟΣ

SEV  
DE

ERVEDITIS HOR-  
TORVM CVLTOBIBVS

Von

Selehrten Gärtnern.



RECUSA

LVBECÆ & LIPSIAE

SVMTIBVS JOH. PHIL. HAASII.  
M DCC XXVI.

RECUSA

29  
28  
26  
25

Georg. Hassel. Geogr.  
KINHOΦAOC  
ERVDITIS HOR  
FORVM OVL OMBVS  
REVISA  
LARGI & LIBRI  
JANES JON. PHIL. HASSI  
M. DCC. LXXV  
1775

a. & ω.

DE

ERVDITIS HORTORVM  
CVLTORIBVS

DISSERTATIO

Lectiōibus Theologicis

in

D. NICOLAI HVNNII

Epitomen Credendorum Anno MDCC VI.

Habitis præmissa.

§. I.



Lectiōibus sacris, quas Legum Scholastica-  
rum Indiculus a me exigit, in *D. Nicolai  
Hunnii*, magni illius Lubecensium Ecclesia-  
rum Præsulis, *Epitomen Credendorum* ha-  
bendis, *Dissertatiunculam de Eruditis*, qui  
*Hortos colere ac frequentare* soliti fuerunt,

præmittere apud animum constitui. Circa hoc tamen argu-  
mentum ita versabor, ut non omnia, quæ ad Hortorum (1)  
spectant Notitiam, ex variis literarum monumentis diligenter  
undique conquiram, sed eos tantum, juxta ordinem Alphabe-  
ticum, indicem, inque medium proferam Viros, quibus Horti  
placuerunt, quo animos curis spinosis delassatos reficerent ite-  
rum atque exhilararent.

§. II. Id vero dum exequi aggredior, de *Adamo Primo & Se-  
cundo* prolixum instituere Sermonem nolo, quorum uterque

A 2

crebro

(1) Conferri huc meretur *M. Christiani Grübels* perdocta *Dissertatio*, in *Jenens. A-  
cad. A. 1670.* ventilata, quæ *Considerationem Horti* instituit, atque varia de *Hortis  
Veterum* exhibet.



crebro hortos visiterunt. *Primus* siquidem *Homo* a Sanctissimo Numine in Hortum Eden mittebatur, ut coleret eum atque custodiret, *Gen. II. 15.* De quo Horto præter *Huetium* proluxe nuper egit præclari nominis vir, *Jo. Marckius*, in luculento Opere, quo *Historiam Paradisi* illustravit. *Alter* vero *Adamus*, seu *Salvator* noster, persæpe Hortum Monti Olivarum contiguum frequentavit, inque illo preces ad DEum cœlestem misit, tandem quoque sudorem sanguineum emisit, inque hominum manus prono animo irruit, *Luc. XXII. 39. 44. 54.* Idem Sepulchro, quod *Josephus* in horto habuit, post obitum suum illatus est, in quo ad tertium usque diem placide cubuit. *Mattb. XXVII. 60.* Ut non dicam, Eum, post resurrectionem suam, primum in *Hortulani* forma, *Mariæ Magdalenzæ* apparuisse. *Job. XX. 15.*

§. III. Hosce itaque missos faciens, paucis prius quosdam memorabo, qui, Hortorum amœnitate ducti, juxta seculi genium, a negotiis secularibus remoti ruri habitaverunt. Hos inter referendus est Presbyter ille, *Aprus*, (2) ad quem Scriptor Sec. IV. Episcopus Nolanus, *Paulinus*, *Epistola XXVIII. p. 237.* sequentia scripsit: *Rarus, ut scribis, urbium frequentator, familiare secretum taciti ruris adamasti, non otium negotio præferens, neque te Ecclesiastica utilitati subtrahens, sed jam pene forensibus turbis amulos Ecclesiarum tumultus & concilia inquieta declinans.* Neque *Augustinum* a frequentatione Hortorum abhorruisse, imo in Horto quodam ad cœlestis veritatis cognitionem pertractum fuisse, ipsemet haud diffiteri potuit *Lib. IIX. Confess. c. IIX. p. m. 143. T. I. Opp. edit. Basil. 1569.* ita scribens: *Hortulus quidam erat Hospitii nostri, quo nos utebamur, sicut tota domo, illuc me absulerat tumultus pectoris, ubi nemo impediret ardentem litem, quam mecum aggressus eram. Abscessi ergo in hortum, & Alipius pedem*

(2) De hoc consuli potest *Dissertatio V. c. I. II. III. IV. Paulini Opp. edit. Paris. 1685. annexa.*

dem post pedem. Sedimus, quantum potuimus, remoti ab adibus. Et c. XII. p. 146. pergit, idem Autor: Ego sub quadam fici arbore stravi me, nescio quomodo, & dimisi habenas lacrymis, & proruperunt flumina oculorum meorum, acceptabile sacrificium tuum. Post pauca denique hæc habet: Concitus redii ad eum locum, ubi sedebat Alipius: Ibi enim posueram codicem Apostoli, cum inde surrexeram. Arripui, aperui, & legi in silentio capitulum, quo primum coniecti sunt oculi mei. Non in commessationibus & ebrietatibus, non in cubilibus & impudiciis, non in contentione & emulatione, sed induite Dominum Jesum Christum, & carnis providentiam ne feceritis in concupiscentiis. Nec ultra volui legere, nec opus erat. Statim quippe cum sine hujusce sententiæ quasi luce securitatis infusa cordi meo, omnes dubitationis tenebra diffugerunt. Tum interjecto aut digito, aut nescio quo alio signo, codicem clausi, & tranquillo jam vultu indicavi Alipio. Sed nec postea, facta memoratu digna hac conversione, loca remota ac hortos est averfatus, prout Possidonius, Calamensis Episcopus, de Vita & Moribus Augustini Cap. III. p. m. 861. T. I. Opp. commemorat. Placuit ei, percepta Baptismi gratia, cum aliis civibus & amicis suis, DEO pariter servientibus, ad Africam & propriam Dominum agrosque remeare. Ad quos veniens, & in quibus constitutus ferme triennio, & a se jam alienatis curis secularibus, cum iis, qui eidem adharebant, DEO vivebat, jejuniis, orationibus, bonisque operibus in lege Domini meditans die ac nocte. Nec Gregorium Nazianzenum reticendum esse existimo, de quo Hieronymus in Catalogo Scriptor. Ecclesiast. T. I. Opp. p. 194. edit. Francof. 1684. sequentia refert: Episcopum in loco suo ordinans ruri vitam monachi exercuit. Hisce plures adhuc superaddi possunt, qui sacros quosdam secessus amarunt, vel pietatis promovendæ, vel studiorum excolendorum gratia, quorum catalogum texuit magni nominis Theologus, atque inter ornamenta,

29

28

26

25

quibus *Augusta Vindelicorum* inclaruit, referendus, *Theophilus Spizelius*, in pio literati *Hominiſſeſſu*, *Literato ejus feliciffimo*, annexo. Ecquem enim latet, homines, qui in Monasteriis tam ducere ſolent, amœniſſima ſibi eligere loca, quo tum animum, tum corpus paſcant, atque in ſolitudine capiant oblectamenta? Exiſtitant enim, ea ſatis apta & perquam idonea eſſe literarum ſtudiis, atque Meditationibus ad res ſacras juxta atque humanas perficiendas inſtituendis. Qua in re priſcos Eruditos, qui vel *Philoſophis* vel *Oratoribus* annumerantur, haud impari ſucceſſu imitantur, quippe qui, ſtrepitum urbanum fugientes, prædia amœniſſima incoluerunt. Hos inter referendus eſt *C. Plinius Cœcilius Secundus*, qui *Laurentinum* ſuum, mirum in modum commendavit, *Lib. II. Epift. XVII. & Lib. V. Epift. VI.* collata *Differtatione Academica*, ad mentem ſententiamque modo adducti *Plinii de Seceſſibus Veterum* conſcripta, a *M. Chriſtophoro Gothofredo Barthio*, & in *Academ. Hallenſi A. 1701.* propoſita. Cui magnus ille Orator, *M. Tullius Cicero* adjungendus eſt, qui *Tuſculanum* ſuum habuit, atque in illa villa ſapiffime animum recreavit. Nos *Tuſculano*, *Lib. I. Epiftol. ad Atticum Epift. 6. T. I. p. m. 44. ſeq. edit. Amſtel. 1684.* ſcribit, *ita delectamur, ut nobiſmet ipsis tum denique, cum illo venimus, placeamus.* In hoc *Tuſculano* quinque libros *Tuſculanarum quaſtionum* eum adornaffe, inque iis argumenta ad beate vivendum maxime neceſſaria egregie (3) expoſuiſſe, non ignotum eſt.

Agit

(3) Quamvis *Tuſculana* hæc *Quæſtiones* magnam eloquentiæ eruditioniſque copiam complectantur, non tamen illæ cum *Scriptura Sacra* comparari poſſunt, id quod nec *Jo. Franciſcus Picus Lib. 2. c. 2. Examiniſ Doct. Gent.* apud *Rivetum* in *Iſag. ad Script. Sacr. C. XXIII. T. II. Opp. p. 1028. b.* diſſimulare potuit, ſequentia de ſemetipſo commemorans: *Legebam ſuperioribus diebus forte per otium Tuſculanam ipſam Ciceroniſ Quæſtionem, ubi maximo efferi præconio verba Æſchinis, adverſus Demotheſtenem irceberis, tanquam magnam vim & artem continerent, eaſque diligenter examinavi. Neq̄ multo poſt tempore deſumpſi in manum Eſaiam Prophetam, Ebræo populo minantem. Nulla ſere ſimilitudo. Adeo hic vehemens, ſublimis, copioſus, reſonans, terrorem incutiens, & veram artem undique ſpirans.*

Agit enim primus de *contemnenda morte*, secundus de *tolerando dolore*, tertius de *agritudine lenienda*; quartus de *reliquis animi perturbationibus*, & quintus de *virtute, illa ad beate vivendum esse contendendum*. Nec Amicis displicuerunt illæ quæstiones, prout Cicero ad *Atticum* scribens *Lib. XV. Epist. 11. p. m. 606. T. II.* his verbis testatum fecit. *Quod prima disputatio Tusculana te confirmavit, sane gaudeo, neque enim ullum est perflugium aut melius aut paratius*. Sed antiquos prætermittens ex *Historia recentiore, eaque Literaria*, nonnullos proferam, qui otio suburbano indulserunt.

§. IV. Ordinem itaque Alphabeticum observaturus statim *Aug. Buchnerum* in medium produco, qui quanto amore jucunditatem hortorum profecutus sit, hisce verbis in *Epistol. P. I. p. 108. seq.* indicavit: *Tantum abest, ut fastidiam Rus, quod recte divinum ipse divinus Maro dixit, ut nullo non tempore ejus quietem præ urbano illo strepitu expetam; quippe quo nihil aptius ad ingenuas colendas Musas. Quicquid pene in antiquitate non modo, sed in ingenii superiorum temporum miramur; id in secessu & procul urbe scriptum est, quod facile possem ostendere.*

§. V. Quo laudato, *Joach. Camerarii*, celeberrimi illius Norimbergensis Medici, mentionem injiciendam esse arbitror. Hic enim, ut officii sui partibus rite defungeretur, Rei Herbariæ studio deditus, hortum plantavit, eumque variis exornavit modis, ut Exteris non minus quam Inquilinis gratus esset, & acceptus. *Hortum instructissimum*, verba Melch. Adami in *Vitis Germ. Medicorum p. 348.* sunt, in pomærio Norico magnis impensis coluit: in quo *æternâ infinita ostendere solebat: ut raro illustrior aliquis hospes Norimbergam transierit, qui illum non cupidissime inspexerit. Extat typis editus illius hortus medicus & philosophicus, in quo infinitas plantas in suburbano illo horto suo enatas, breviter, sed admodum accurate, descripsit; interspersis alicubi philologicis doctrinis utilissimis.*

§. VI.

§. VI. Idem Scriptor in *Vitis Theol. Germ.*, p. 280, refert *Cardinalem Rothomagensem* in Castro quodam eximium condidisse hortum. Deinde ( *Conr. Pellicanus* ivit ) ad *Castrum Gallion ad Sequanam*, quod habebat amplissimum hortum trium leucarum in circuitu; quod construxerat *Cardinalis Rothomagensis*, *legatus Apostolicus*, adificium insigne usque ad expensas viginti quatuor tonnarum auri; nondum tamen omnia in illo erant absoluta.

§. VII. *Ecclesia Bergerdorffensis*, prope *Hamburgum*, haud ita pridem *Antistitem* suum, *M. Gerbardum Corthumium*, (cujus diligentiam *Acad. Lipsiensis*, ventilato sub *Præsidio Jo. Ad. Scherzeri* *Discursu Philologico-Theologico*, de *Angelis*, A. 1659. laudavit,) A. 1704. demortuum acerbè deploravit, in quo præter doctrinam, qua præditus erat, singularis *Horti* amor inveniebatur, adeo ut, cum nullis parceret sumptibus, atque arbores fereret, exteris non ingratas, ab omnibus magno in pretio haberetur. Verum non solum hortus, quem struxit, illum clarum reddidit, sed etiam celeberrimus ipsius ex *Sore* *Nepos*, in *Hamburgensium Gymnasio* magna cum laude docens, *Jo. Albertus Fabricius*. Hujus enim *Nomini* eruditus orbis haud invitus assurgere solet, atque, ut plura ingenii monumenta prodire jubear, & *Literas Græcas*, quarum bono natus esse videtur, ornare pergat & tueri, votis seriis expetit.

§. VIII. *Dilectissima* mea *Patria*, ( cui bene precabor, quamdiu vixero, ) *Joachimum Fellerum*, S. S. *Theol. Licentiatum*, & *publicum Poëseos Professore* ( 4 ) habuit, qui magnam ex hortis

( 4 ) *Vitam clarissimi hujus Viri* descriptam legimus in *Adolphi Clarmundi vitæ Clariss. in Re Literaria Virorum P. IV. p. 193. seqq.* coll. *Andr. Caroli Memorabil. Eccles. Sec. XVI. Lib. X. C. IIX. p. 560.* & *Chr. Lehmanni Schauplatz der Denckwürdigkeiten in dem Meissnischen Erzgebürg. p. 846.* Accuratiorem tamen ejus descriptionem accipiet *Orbis Eruditus* a grato ac perdocto *Fellerianæ Doctrinæ Alumano*, *M. Paulo Christiano Hilsbero*, Amico meo tenerrime dilecto, prout in literis, ante menses haud adeo multos ad me scriptis, his verbis eandem promittit: Ich habe mir schon vorlängst sürgenommen gehabt, meines alten lies

hortis capiebat voluptatem. Hinc, quoties ipsi vel carmen scribendum, vel aliud negotium literarium expediendum esset, loca opaca arboribusque stipata quærebat, inque iis musinabatur, juxta illud Poëtæ: *Carmina Secessum scribentis Et otia quarunt*. Non sine jucunda animi recordatione memini, me, Præceptorem optimum, in horto Parentis mei desideratissimi, quippe cujus usum ei perquam libenter concesserat, non semel vidisse, atque ex ejus colloquio, ad hoc enim me admittebat lubens, multum percepisse utilitatis.

§. IX. Huc pariter spectat magnorum meritorum Theologus Saxonicus, *D. Martinus Geierus*, qui animum, sacris meditationibus fatigatum, in horto, qui non adeo procul a Sede Electorali, *Dresda*, erat, reficere solebat. Hinc vel plantabat, vel rigabat in illo, vel meditationes sacras, Ecclesiæ Christi profuturas, instituebat, atque ita monstrabat, *Hortulanum Ecclesiasticum*, (quem in luculenta quadam *Homilia, Volum. Concionum Miscellan. p. 753. seqq.* inserta, cum ab eo *M. Jo. Georgius Dietrichius*, Pastor ac Superintendens *Coldicensis*, solenniter inauguraretur, descripsit,) non dedecere Hortorum curam atque oblectamenta.

§. X. Nec diversa ab hoc mens fuit Theologo Würtembergensium laudatissimo, *Matthiæ Hasenreffer*, cujus amorem in hortos *Thomas Lansius*, in panegyrico, apud *M. Henning. Wittenium*, in *Memor. Theol. Dec. II. p. 158.* ei scripto, vix verbis exprimere potest, quapropter sequentem in modum delicias ex hortis capiendas insimul commendare instituit: *Si quando*

B

corpo-

ben Hospitis und grossen Studenten Freundes L. Felleri, P. Poët. Leben zusammen zu tragen, darzu ich auch einigen apparatus habe, und solches etlichen seiner Opusculorum ineditorum voran zu setzen, bin aber immerzu daran verhindert worden. Annotations Ejus in *Joh. Majoris Synodum Avium* e MSS. prodire nuper jussit atque *Actorum Literariorum e MSSis erutorum Fasciculo Quarto* inseruit *Vir Cl. Burcardus Goth. Struvius*, p. 16. seqq.

corpori, cuius fulturis ac recreationibus etiam animus sustinetur, vacandum esset, ille ad hanc rem quarebat secessus, & plerumque in hortis suburbanis ab omni isto urbano strepitu, istis inanibus discursibus, & sepe ineptis curis remotus, se totum studiis & contemplationibus divinis, vel otio & colloquiis cum uno atque altero fido amico tradebat. Mirum est, quam singulis diebus in turba urbica ratio paucis aut constet, aut constare videatur, pluribus vero non constet? Nam si quem interrogas? Hodie quid egisti? respondeat: Sponsalia aut nuptias frequentavi; convivio interfui; ille me ad signandum testamentum, ille in advocacionem, ille in consilium, ille ad aleam & pocula vocavit. At in secessu, in horto, homini virtutis ac pietatis amanti omnia sunt tuta, omnia secura & tranquilla. Tunc enim subit recordatio, quot dies quam frigidis rebus absumpserimus. Tunc nihil audimus, quod audivisse; nihil dicimus, quod dixisse pœniteat. Tunc nemo apud nos quenquam sinisteris sermonibus carpit: neminem ipsi reprehendimus, nisi unos nos, cum parum commode scribimus, legimus, meditamur: nulla spe, nullo timore sollicitamur; nullis rumoribus nec impetimur, nec impedimur. Nobiscum tantum, & cum libellis, & cum DEO naturaque loquimur. O regiam & sinceram vitam! O suave otium honestumque, ac pene omni negotio præstantius! O horti! O plantæ! O flores! O verum secretumque Musæum! Quam multa inventis? quam multa ditatis? quam multa docetis?

§. XI. *Hamburgi superiori seculo vixit M. Nicol. Hardkopsius, Ecclesiæ, quæ a D. Nicolao nomen accepit, Pastor, variisque scriptis Homileticis (5) clarus, de quo memoriæ proditum legimus, quod sæpissime in horto, quem sibi comparaverat, delituerit. Ejus rei ergo, nec ipse amorem suum, quo Hortos excepit, dissimulare potuit, quin sequentia in Homiliis Germanicis, quibus Psalmum LXV. exposuit, de se ipso referret. Ita vero P. 2. p. 69. scribit: Es ist mir selbst nichts liebers, als dis fals allein und auch draussen zu seyn. Respiciunt autem verba hæc ea, quæ P. I. p. 328. leguntur: Auch noch heute wird die lauterste*

(5) Ea commemorantur in Dn. Ephr. Prætorii Bibliotheca Homiletica, quibus addo Conciones Scholasticas, oder Christliche Schul-Predigten, A. 1620. habitas, & Typis Georgii Wolderi exscriptas.

terste Ergöblichkeit im Sommer drauffen an Aeckern und Wiesen, an Gärten und Bäumen, an Hügeln und Bergen, an Brunnen und Wasser = Quellen gesucht. Was für eine Lust und Freude mag einer, insonderheit ein Gelährter, haben, wenn er immer wie ein Ketten-Hund in urbano carcere liegt, nimmer ein Glied vom andern strecket, sondern immerdar, wie ein stinkendes Wasser, auff seiner Stelle verfaulet? Was für subtile und tröstliche Gedancken sollen einem solchen wohl einfallen? Et P. 2. p. 411. hæc habet: Denen Gelährten gebühret und dienet eine Erfrischung in schönen Gärten, wenn sie mit ihren Meditationibus und sonsten sich erschöpffet haben. Ich meines Theils muß bekennen, daß ich im ersten Eintritt in einen schönen Garten einen andern und bessern Muth fasse, gleich als wenn ich alle Schwermuth, Gedancken und Mattigkeit hätte in der Thür niedergeleget. Nec non p. 418. mentem suam magis diserte exponit: Es haben auch die Gelährten an ihren Gärten eine Studier-Stube/ die vom Gethönd und Rausche der Stadt nichts höret, da die Weiseln nicht klappen, die Räder nicht rasseln, die Rosse nicht schreyen, und die Wagen nicht rollen. Da können sie ihre Gedancken recht zusammen fassen, und in der Stille verborgenen Sachen nachdenken. Wer es nicht glauben wil, der lasse es. Ich weiß wie in allen obgesagten Stücklein mir mein Garten zum Besten kömmt, und achte demnach gar nicht, was etwa Hans Unverstand darwider lallen mag.

§. XII. Idem studium laudatur in Jac. Heerbrando, quod Melch. Adamus in *Vitis Theol. Germ.* p. 680. his verbis ivit commendatum: *Cum a Socero, (Conrado Stamlero, Consule Tübingensi,) pradia nactus esset, illudque lucrum e terra nascentibus proveniens, pium, honestum, DEO gratum, & ipsius benedictione plenum esse non ignoraret: suis laboribus etiam hæc egregia locupletasset accessione: exemplo patriarcharum, magnatum, regum etiam, hortorum, vinearum, & rerum consimilium plantatione, insitione, curatione, tan-*

29

28

26

25



quam Cato Ciceronianus ille, plurimum est delectatus: si quid officiis, publicis & privatis etiam studiis succidere potuit temporis, huc, tanquam animi relaxandi gratia, utiliter fructuoseque contulit: adeo, ut e locis longe remotis, Styria, Carinthia, Carniola, generosos sibi furculos & semina nec sine sumtu adferenda curaret: quæ facile a magnatibus illis est consecutus.

§. XIII. Sed quid quæso nunc dicendum erit de *Iusto Lipsio*? Ille enim non solum hortorum usum aliis commendavit, sed etiam Hortum plane eximium, Musisque suis valde accommodatum, habuit, in quo, literis ut eo melius operam dare posset, hæsit. Hinc tot Inscriptionibus eum exornavit, atque Amici elegiis cohonestarunt, ut quilibet haud difficulter animadvertere possit, Virum hunc eruditissimum præcipuis hortorum Cultoribus esse annumerandum. Vid. Lipsius de *Constantia* Lib. II. C. III p. 122. seqq. & *Epist. Cent. I. ad Belgas epist. 44.* Melch. Adamus in *Vitis Germ. Philos. p. 477. seq.* Otto Aicher in *Horto Variar. Inscript. p. 344. seqq.* M. Nicol. Hardkopius, in *Homil. P. 2. in Ps. 65. p. 419.* B. D. Carpzovius in *Conc. Funebr. T. V. p. 910.*

§. XIV. Apud *Heidelbergenses* vixit *Jo. Jodocus Lucius*, Artis Medicæ Doctor perquam clarus, atque *A. 1613.* mortalitati ereptus, qui id negotii sibi datum esse credebat, ut, pro muneris demandati ratione, Hortum medicum exornaret, atque erudito scripto exponeret. *Nihil antiquius habuit*, de eo Melch. Adamus in *Vitis Germ. M. d. p. 420.* scribit, *quam hortum Medicum, publicum Academiæ bonum; quem conquestis undiquaque plantis, herbisque & simplicibus raris sub cælo, exornavit. Habebat in manibus descriptionem horti medici, in quo sunt exotica permulta, ipsius labore & studio cælum hoc ferre docta, nisi mors prematura institutum abruptisset.*

§. XV. Ad *Martinum Lutherum* accessum faciens singulari plane animi voluptate afficior, ut ea silentio prætermittere nequeam, quæ in ipsius laudem vergere mihi videbuntur. Hortum etenim nec ipsi defuisse in *Epistola ad G. Spalatinum A. 1526.*  
scripta

scripta disertis verbis factus est: *Quando venis ad nos? Visurus aliquando vetera monumenta familiaritatis & amicitia. Hortum plantavi, fontem (6) edificavi, utrumque satis feliciter. Veni & coronaberis Liliis & Rosis. Tom. II. Epist. p. 317. a.* Literis autem compellavit præcipue *Wenceslaum Linckium*, qui *Altenburgi* primum, ac postea *Norimbergæ* docuit, ut illum variis seminibus exornaret. *Plura semina in hortum meum curabis, varia quæcunque poteris, nam si vixero, hortulanus ero. Tom. II. Epist. p. 365. b.* Hinc perquam grata ejusmodi dona ipsi fuisse, atque magnam fecunditatem exeruisse, sequentia confirmant. Ita enim *Tom. II. Epist. p. 332. a.* scribit: *Omnia, quæ missi, semina oriuntur, tantum Melones & cucurbita differunt, quanquam in aliis hortis etiam prodeant. Et p. 342. b.* Melonum commendat fertilitatem. *Melones sive Pepones crescunt, & ingentia cogitant spatia occupare, idem & Cucurbita & Citrulli, nec frustra missa vestra semina cogites. Quapropter p. 367. animum beneficii hujus non immemorem declarat: Pro seminibus missis gratias ago.*

§. XVI. In *Academia Lugduno Batavorum* clarissimum Virum, ac Medicinæ Doctorem valde celebrem, *Petrum Pavium, Secul. XVII.* vixisse constat, qui, officii permotus sanctitate, bene de publico mereri cœpit, atque Hortum instruxit, bonitate sua perquam conspicuum, de quo *Melch. Adamus in Vit. Germ. Medic. p. 454* sequentia refert: *Pavio potissimum debetur Hortus Lugduni Academicus, tam eleganter & tanta stirpium varietate instructus, ut cum quovis Europa plantario certare queat. In quo uno veluti intuitu & compendio videre licet, quicquid fere plantarum toto orbe dispersum pullulat. Delineatio ipsius Horti*

B 3

Medi-

(6) De hoc fonte ex instituto egerunt *Dn. Tenzelius in Curios. Biblioth. Reposit. I. Locul. IV. p. 376. seq.* & *Dn. Junckerus im Guldnen und Silbern. Ehren. Gedächtniß Lurberi, p. 298. seq.*

*Medici videre est in Descript. Acad. Leidensis, ejusque Doctorum, Lugd. 1614. edit. p. 231. coll. p. 148.*

§. XVII. Nec defuit *Academia Basileensi* Archiater præstantissimus, cui nomen fuit *Felix Platerus*, (de quo *Jo. Posthius* cecinit :

*Cum felix animo, felix sis divite censu;  
Felicis nomen convenienter habes.)*

huic pariter *Catalogo*, ob insignem Hortorum amorem, inferendus. Ita enim de illo modo adductus *M. Adamus* in *Vitis Germ. Medic. p. 430.* scribit: *Maximam partem plantationi horti sui, quam, si quisquam alius, habebat instructissimum, impendebat. In eum rara multa, multa peregrina & exotica intulit, quæ omnia singulari cum humanitate, ac hilari vultu Studiosis Artium & quibuslibet petentibus, exemplo Cyri Regis, commonstrabat.*

§. XVIII. *Pietatis*, quæ ad omnia utilis est, Studium iis debet esse quam commendatissimum, qui in Hortos nonnunquam se recipiunt, atque admiranda indulgentissimi Numinis Opera venerabundo intuentur oculo. Hac siquidem ratione Sacris indulgentes Meditationibus DEO se gratos & acceptos reddunt, in fide proficiunt indies indiesque, atque ad quævis subeunda redduntur idonei, consiliisque instruuntur. Non immerito itaque laudi ducitur *Davidi Platzio*, Jcto ac Prætori *Budissinensis*, quæ ad superiorem spectat *Lusatiam*, Civitatis, eximio, quod sacros in horto libellos evolvere, atque jucundis soliloquiis animum pascere, haud fuerit dedignatus, ab ultima mortis hora non adeo procul existens. Ejusrei ergo sequentia ex *Homilia funebri*, quam in Exequiis Viri Optimi, ad verba *Joh. XVII. v. 24. M. Michael Lieffmannus*, Ecclesiar. Evangel. Lutheran. Pastor Primarius, d. 24. Junii, An. 1690. recitavit, excerpte, aliisque ad imitandum proponere, constitui: Als er Nachmittags am 11. Junii aus der Kirchen nach Hause kommen, hat er eine sonderbahre Lust gehabt, in den Garten zu gehen,

hen, und ob er wohl hierinnen von seiner Liebsten gleichsam, als wenn ihr Ehe-Hertz das daraus zuerfolgende Unglück vorgefaget hätte, zu unterschiedenen mahlen abgemahnet worden, so ist er doch beständig darauff geblieben, und hat so dann in dem Garten, mit Les- und Betrachtung unterschiedlicher Christlicher Gebete, und letztlich mit andächtiger Erwehung der Vermählung einer gläubigen Seelen mit Christo sich ergöset. Da er nun hierauff wiederum nacher Hause kehren, und nur zuvorhero einen Stall in dem Garten-Hause besehen wollen, ist er hiebey mit einigem Grauen, und so fort mit einer dergestaltigen debilitate virium überfallen worden, daß er schwerlich nacher Hause gelangen können, und alsbald über Müdigkeit der Glieder zu klagen angefangen. Quemadmodum vero clarissimum hunc Virum paulo post DEus e statione sua decedere iussit, ita aliis pariter, quæ adsunt, Exemplis, edocemur, extremam Mortis Horram Hortos visitaturis quandoque imminere, eisque inopinanter admodum finem vitæ imponere. Qua occasione non sine ingenti animi mœrore adhuc recordor, A. 1702. Mense Februario Civem ac Mercatorum Magistrum apud Lipsienses spectatissimum, Virum & pietate & integritate nulli secundum, *Christophorum Andream Guldium*, (Cujus, ceu alterius Parentis mei, Memoriam, ob varia in me collata beneficia, grato recolo animo, Ejusque Ossa ut molliter quiescant, ac semini benedicto ut fausta quævis eveniant, DEum ardentissimis Votis precor,) in Horto, quem inviserat, Morbo apoplectico correptum, ac tertio die post vivorum numero exemptum fuisse. Vid. Dn. D. Th. Itigii *Conc. Funebr. P. II. p. 866*. Idem fati genus excepit olim *Jo. Baumannum*, Ecclesiæ Raudensis in Silesia Pastorem, A. 1627. demortuum, de quo *Jo. Heermannus in Conc. Funebr. P. II p. 295*. sequentia memoriæ prodidit: Sonnabend vor den 9. Sonntag nach Trinitatis, als er im Pfarr-Garten/ seinem

Se

29

28

26

25

Gebrauch nach, umbher gangen, hat ihn plözlich ein Schwind  
 del überfallen, also, daß wenn der Glöckner ihn nicht erwischt  
 hätte, er einen schrecklichen Fall würde gethan haben. Als er  
 ihn aber ins Graß nieder läffet sincken, rühret ihn, nach dem Wil-  
 len Gottes, auff der rechten Seiten, der halbe Schlag also, daß  
 man ihn fast halb todt aus dem Garten tragen müssen. Nostri  
 ergo est officii, ut mortis memoriam quotidie instauremus, at-  
 que, omni momento eam expectantes, & caduca hujus vitæ  
 pertæsi, ad cœlestis Paradisi delicias adspiremus, iisque dignis  
 modis nos præparemus. Qua in re pietatem *Rudolphi*, Ducis  
 Alcaniæ, & Servestanæ, quæ adhuc viget, Lineæ Satoris, qui  
*An. 1621.* vivere desiit, maxime laudandam esse judico, quam  
*Dan. Seiffartus* in scripto Germanico, quod *Mel Melicum Ma-*  
*gnatum Morienium* inscriptum est, in *Prefat.* hisce verbis cele-  
 bravit: Der Glorwürdigste Fürst, *Rudolphus*, von Anhalt, hat  
 das Fürstliche Anhaltische Wapen im Lust-Garten zu Zerbst aus  
 Buch-Baum zusammen richten, und darüber die Kron also bil-  
 den lassen, daß sie die Wort zu lesen gab: RUDOLPH, Fürst  
 von Anhalt/ Gedenc/ daß du sterben must!

§. XIX. Academia Wittembergensis amplissimo funere An.  
 1619. extulit *D. Bartholomaum Reusnerum*, Jctum & Ordinari-  
 um gravissimum, de cujus studio, quo Hortorum delicias pro-  
 secutus est, *Aug. Buchnerus*, in *Dissertationibus Academicis* p. 271.  
 pulchre graviterque edisserit: *Præter Musas & Flora quoque,*  
*hoc est hortorum & illa Divini, ut quidam loquitur, ruris amœnitas, ipsius*  
*animum delinierat. Ratus nunquam se magis vivere, quam ubi in villa*  
*sua suburbana & horto, qui Domini frugalitatem facile prodit, aut subter*  
*arborum, quas ipse severat, umbraculis, aut florum inter areolas, jucun-*  
*dissimo spectaculo pascens oculos, obambulare, nec tam cum animo volveret,*  
*quam belle cauponari causas, aut promercalem habere posset justitiam; sed*  
*quanta felicitas fuerit primorum hominum, & innocentissimi seculi volu-*  
*ptas, quod non abs re Poëta aureum appellarant; cujus ruri præcipue quo-*  
*dam vestigia superesse iidem ajebant.*

§. XX.

§. XX. Forſan neque jure hic omitti poteſt Nobilis ille Romanus, Auſicus Cardinalis Perretti, nomine *Vittorio de Roſſis*, qui ſub *Jani Nicii Erythrai* nomine latet, prout ſummus Virorum, Vincentius Placcius, in *Pſeudonymorum Catalogo* p. 230. notavit. Nam *Dialogi* illi, qui *Convivium Ville Fratrum de Syriis, Patriciorum Savonenſium, & Nicianæ ville* deſcribunt, atque *Dialogis* ejus *ſeptendecim, Coloniae 1645*, impreſſis, inferuntur, animum ejus ab Hortorum cultura non fuiſſe alienum luſculento teſtimonio confirmant. Dum enim aliis jucunditatem ex villis hauriendam impenſe commendat, de ſe ipſo tacite refert, quod Hortos perreptare ei haud diſplicuerit.

§. XXI. Quoties *Jo. Adami Scherzeri* præmaturam mortem mihi in memoriam revoco, toties Eccleſiæ Chriſti vicem doleo, quæ virum & Judiciæ acrimonia & doctrinæ ſublimitate inſignem amiſit, atque in hunc uſque diem deploravit. Hoc tamen de eo reticere nequeo, quod, cum, in primis Studio- rum Academicorum annis, a *Studio Medico* ad *Theologicum* tranſiſſet, Botanicum ſtudium ad extrema uſque excoluerit, atque ejus rei ergo *Hortum* ſibi comparaverit, & jucunditate & utilitate conſpicuum. Hunc ergo crebro admodum viſitavit, adeo, ut cum per haud exiguum temporis ſpatium lecto ferali affixus eſſet, illius amorem abjicere non potuerit. Quapropter in illo meditabatur, & ſcribebat, atque, cum ſecunda vice *Collegium ſuum Anti-Socinianum* publici juris faceret, emendatiusque edi curaret, elegantiffimam *Prefationem* hiſce verbis: *Lipſ. in Horto ſuburbano Idibus Septembr. M. DCLXXXIII.* obſignabat.

§. XXII. Inter illuſtres, quos *Vraſlavia* habuit, Medicos numeratur *Laurentius Scholtzius*, ſeculo decimo ſexto exeunte deſunctus, cujus diligentiam in condendo atque exornando Horto verbis Melch. Adami e *Vitis Germ. Medic. p. 364.* deſcribere

29

24

26

25

Scribere placet: *Singulare in ipso Botanice rei studium loquitur hortus ille, quem intra patrie suae moenia, rei Medicamentariae quasi seminarium quoddam, magnis certe laboribus & impendiis, quamdiu vixit, excoluit, & omni florum, herbarum, bulbonum, plantarum genere, aliisque cum inquilinis tum exoticis, hero & loco dignis, exornavit. Et post pauca. Hortum illum suum ita exornavit, ut verbis exprimi vix possit, qua florum fuerit herbarumque in eo copia & varietas: quis ordo, quam apte omnia in areolas suas & pulvillos disposita, qua frondium textura, qua viridaria. Itaque non solum exteri advena ac hospites, cum voluptate ac delectatione eum spectarunt, sed magni etiam Viri suis carminibus celebrare non dubitarunt. Adducit autem J. Matth. Wackeri, Jani Gryteri, & Jo. Posthii Carmina, quæ Horti elegantiam describunt, atque in laudato libro legi possunt.*

§. XXIII. *M. Jerem. Spigelio, qui inter Praepositos Kembergenses octavum meruit locum, pramii loco ob susceptam emendationem Grammatices libri, in Scholis Saxonis recepti, Hortum datum fuisse, sequentia, quæ apud Dn. D. Jo. Henr. Feustkingium in Descriptione Germanica Praeposit. Kembergens. Vitæ Curriculo Barthol. Bernhardi von Feldkirchen annexa p. 76. leguntur, confirmare videntur. Was er bey Revision des Grammatischen Wercks verrichtet, ist denen Gelehrten bekannt, und hat es bezeuget die Churfürstl. Begnadigung, daß ihm ein schön Stück Landes, welches noch jezo der Spiegelische Garten genannt wird, allergnädigst dieserwegen ist verehret worden.*

§. XXIV. *In Henrico Strobando, qui Rempublicam Thorunensem variis modis ornare & juvare studuit, Ruris & Agriculturae studium haud proletarium fuisse, verbis Melch. Adam, e Vitæ Germ. Jctorum p. 422. perquam commode efferri & laudari posse judico. Ita vero illa sonant: Hanc agriculturam colendam, præ reliquis questuosis acquirendi modis, sibi elegit tanquam*

quam sanctissimam, & a luxuria & levitate prorsus alienam vitæ magistram. Hanc partim in avito & paterno rure, Brisena, partim in villa vicina, cujus feudalem usum fructum regis sui clementia obtinebat, exercuit: Unde, quæ ad honorifice tuendam viri nobilis conditionem sufficiebant, acquirebat.

§. XXV. Præclarum Jo. Wigandi Nomen est, quod variis in locis doctrinæ integritate, Zeli sanctitate, vitæque innocentia, sibi acquisivit. Cum vero munia sibi demandata rite administraret, ab officio tamen haud alienum esse credidit, si, animum ut reficeret paululum, hortum conderet, eumque herbis & floribus præstantissimis ornaret. Id quod in primis fecit, cum apud Mansfeldenses viveret, ceu Melch. Adamus, scriptor sæpius hætenus laudatus, in *Vitis Germ. Theol. p. 607.* testimonium de illo perhibet, inquit: Delectabatur Wigandus mirifice herbarum cognitione, cujus quidem studium Valerius Cordus, celebris Medicus, Wittenbergæ inter Studiosos excitaverat, præsertim cum in montibus oppido Mansfeldiæ vicinis, non pauca præstantes & salubres herbe nascerentur; ac gaudebat societate & consuetudine D. Georgii Emili, popularis sui, Poëta & Theologi, qui sæpius Stolbergæ, ubi Ecclesia ἐπισκοπή ipsi demandata erat, & parentum & amicorum gratia Mansfeldiam excurrerebat. Is vero cum & ipse quoque pulcherrimas illas creaturas DEI, in quibus evidētissima & oculatissima, omnipotentia, sapientia, & bonitatis divinæ vestigia elucent, amaret, magis etiam Wigandum incitavit, & culturam horti ipsius non parum adjuvit, & herbis sylvestribus, medicis, & flosculis odoriferis exornavit. Ex his igitur verbis colligi potest, non solum Wigandum horti delectatum fuisse, sed etiam Georgium Emilium, Superintendentem Stolbergensem, (cujus pater Lutherum, cum puer admodum esset, in ludum deduxit ac gestavit, notante Melch. Adamo in *Vitis Germ. Theol. p. 101.*) hisce oblectamentis fuisse refectum.

29

28

26

25



§. XXVI. Et hosce Viros peregregios, quibus adhuc alii (7) superaddi possunt, ideo commemorare volui, ne nostri, in quorum gratiam scriptionem hanc adornavi, nescii essent, ab iis Hortos fuisse amatos valde & excultos. Et sane diffiteri nolo, quosdam eorum, vel pietatis excitandæ, vel officii sui rite administrandi, vel studiorum excolendorum, vel jucunditatis capiendæ gratia, loca arboribus confita, seu Hortos suburbanos, quæsiuisse, inque iis otio peramœno indulgisse. Quapropter eos minime vituperandos esse arbitror, qui ejusmodi delicias decenter sectantur, iisque pie admodum perfruuntur. Negari equidem haud potest, in Hortis multa quoque committi peccata, quæ DEum iratum reddunt, atque proximum lædunt, & contristant. Ut non dicam, nonnunquam Hortos stupendis ac regiis ferme sumtibus extrui alicuique, qui possessores suos vix bimulos aut trimulos turpiter ejiciant, atque ad incitas plane redigunt. Sic perspicuum est, atque inter omnes constat, sæpissime non precum causa Hortos frequentari, nec sobrietatis ac temperantiæ in illis rationem haberi, nec Opera DEI decenter spectari & considerari, sed Vitiorum eos esse palæstras, atque horrenda eheu! in illis designari facinora. Enimvero, cum solida Eruditio, qua ingenuum Viri pectus repletum est, a virtute haud aliena sit, criminumque expers inveniatur, nec plebejorum mores referat, ideoque nec Doctis Viris Hortorum delicias vitandas fugiendasque esse, mihi est persuasissimum. Juvat ejus rei ergo *Theoph. Spizelium*, Virum & pietate & doctrina post fata venerabilem, audire, ejusque monitis, quæ in *Literato ejus felicissimo p. 287.* leguntur, Eruditis animum addere,

(7) Ita enim B. D. Geierus, cujus supra §. IX. memini, de aliis Theologis (forsan se ipsum non exclusum vult,) in *Volum. Conc. Miscell. p. 788.* scribit: Was für gute Gedanken in den Gärten andere Geistreiche Theologi zu unserer Väter und unsern Zeiten empfunden, auch zu Papier gebracht, und auff mancherley Arten im Druck gegeben, wil ich nicht anjesso anführen.

dere, ut Hortos frequentare haud desistant. *Tantum abest, ut Eruditis Hominibus omnium omnino voluptatum oblectationumque dapes sint auferenda interdicensque, ut quaedam iisdem studiis se potius commendanda consecrandaque veniant. Non carerent Musarum pie Christianarum Amasii Horto suo Hedenae, nec omni penitus paradiso Voluptatis destituuntur: Illo nimirum oblectationis genere praecipue capiuntur, quod non alienum ab instituto suo emolumentoque spirituali, atque bonorum inenarrabilem copiam habet conterminam. Nec Eruditis ignota sunt Cae- cili Cypriani Verba, quibus Donatum in Libro de Gratia DEI excepit, atque Hortorum Delicias descripsit, hunc in modum P. I. Opp. edit. Oxon. 1682. concepta: *Tempesivum prorsus hoc tempus est, quum indulgente vindemia solutus animus in quietem, solennes ac statas anni fatigantis inducias sortitur: Locus etiam cum die convenit, & mulcendis sensibus ac fovendis ad tenes auras blandientis autumnii, hortorum facies amena consentit. Hic jucundum sermonibus diem ducere, & studentibus fabulis in divina praecepta conscientiam pectoris erudire. Ac ne colloquium nostrum arbiter profanus impediatur, aut clamor intemperans familia strepentis obtundat, petamus hanc sedem: dant secessum vicina secreta, ubi dum erratici palmitum lapsus nexibus pendulis per arundines bajulas repunt, viteam porticum frondea tecta fecerunt. Bene hic studia in aures damus, & dum in arbores & vites oblectante prospectu oculos amoenamus, animum simul & auditus instruit, & pascit obtutus. Qua autem ratione pia Meditationes in Hortis institui queant, fusius docuerunt D. M. Geierus in Volum. Conc. Miscell. p. 777. seq. D. Jo. Ben. Carpzovius in Conc. Funebr. P. V. p. 910. seq. cum M. Nicol. Hardkop- fio in Homil. in Ps. LXV. P. II. p. 414. seqq.**

§. XXVII. Verum sat verborum me nunc fecisse arbitror, quapropter alium Hortum Juvenibus, quos Phrontisterium

29

24

26

25

habet Lubecense, ornatissimis, monstrandum, ejusque Delicias indicandas esse censeo judicoque, imo alios ejus Cultores quæro expetoque. Est vero is a præclari Nominis Theologo, *D. Nicolao Hunnio*, Viro in tantum laudando, in quantum ejus pietas, eruditio, ac fama merentur, jamdudum conditus, florum amoenitate, arborum bonitate, areolarum varietate, tam copiose instructus, eleganterque distinctus, ut non sine magna animi voluptate eum colere & frequentare possimus. Intremus ergo Viridarium hoc, aspiciamus herbas & plantas, decerpamus fructus, atque animos oculosque in iis pascamus. Neminem autem mihi vitio versurum esse credo, si laudatissimi hujus Theologi *Epitomen*, quam concinnavit, *Credendorum*, cum *Horto* ac *Paradiso Deliciarum* comparaverim. Nunquam enim tantum jucunditatis Hortensius capiet ex structura elegantiaque Horti sui, quantum redundabit in eos, qui debita diligentia spirituales hunc Hortum adspicient perreptabuntque. Conditor illius est Vir DEI, vera pietate ac doctrinæ sublimitate nulli secundus, quem Lubeca nostra inter Ornamenta sua refert, & de quo *Th. Crenius*, in *Epistolica Exercit. ad Phil. Jul. Rehtmeierum*, A. 1704. scripta, de *Libris scriptorum Optimis & Utilissimis*, p. 28. recte pronunciavit: *Sicut Superintendentem Chemnitii similem Brunsviga nunquam, sic nec Hunnii Lubeca similem habuit vel habitura est.* A tanto igitur Viro nil nisi egregia & magna nobis promittere possumus. Non vero cardui, spinæ, lolia & aconita, cum arboribus infructuosis, in ipsius Horto deprehendentur, sed saluberrima olera, arbores præstantissima, blandissimique flores, odorem de se spargentes jucundissimum, fructusque pollicentes uberrimos, ad veram perducentes incolumitatem & vitæ usuram. Degustarunt quidam Adolescentum delicias istas, atque plures adhuc decerpere mecum gestiunt. *Pontitianum*, Civem & Amicum *Augustini*,  
 in

in Horto, ex Lectione Libelli, de Vita *Antonii* Eremitæ, con-  
 scripti, commotum fuisse, ut militarem vitam desereret, ac in  
 solitudine DEO serviret, memoriæ proditum est. Ita enim  
 Augustinus *Lib. IIX. Confess. Cap. VI.* rem omnem, prout gesta  
 est, atque ex amico cognoverat, describit: *Incidit, ut diceret,*  
*nescio quando se & tres alios contubernales suos, nimirum apud*  
*Treviros, cum Imperator pomeridiano Circensium Spectaculo te-*  
*neretur, exisse deambulatum in hortos muris contiguos; atque il-*  
*lic, ut forte combinati spaciabantur, unum secum seorsum, & a-*  
*lios duos itidem seorsum pariterque digressos: Sed illos vagabun-*  
*dos irruisse in quandam casam, ubi habitabant quidam servi tui,*  
*Spiritu pauperes, qualium est regnum caelorum; & invenisse ibi*  
*codicem, in quo scripta erat Vita Antonii. Quam legere cepit*  
*unus eorum, & mirari, & accendi: & inter legendum meditari*  
*arripere talem vitam, & relicta militia seculari, servire tibi &c.*  
 Quod si itaque hic cum sociis suis, perlecto libello, *Antonii* fata  
 commemorante, ad meliorem mentem in Horto redierit, non-  
 ne nostris, Hortum hunc frequentaturis, eadem plane speran-  
 da essent atque impetranda? Sane, vera narro, fidemque illis  
 propterea do lubentissime, animum nanciscentur DEO dedi-  
 tum, vitiorum expertem, ac tranquillam conscientiam, hone-  
 stissimeque vitam suam transigent. De *Cypriano*, sanctissimæ  
 memoriæ Viro, cognovimus, quod, cum in exilium missus es-  
 set, in Hortis habitaverit, usque dum ad mortis supplicium  
 pertraheretur. Vid. *Annales Cyprianici p. 65 & Th. Spizelii Vet.*  
*Academia J. C. p. 63.* Nostrum inhabitaturis Hortum non  
 quidem violentam ominari volo mortem, universis tamen  
 spem facio, fore, ut, in hoc permanentes horto, mortem ater-  
 nam nunquam sint visuri. Ordinem si spectem, in Horto  
 Hunniano adhibitum, non possum non valde eum laudare.  
 Omnia enim areolis suis inclusa sunt, atque spatiis a se invicem  
 distin-

distinguuntur, ut distincte ea intueri, memoria infigere, inque consilium adhibere liceat. Et Hortus Horto vicinus est. Auditorium siquidem, Lectionibus hisce sacratum, Horto contiguum est, ut ejus amœnitate allecti latiore pede ingredi queamus. Adeste ergo, quotquot Hunniani Horti Cultores esse desideratis, atque *Hortulanum* vestrum, pulcherrimos vobis, singulis *Veneris* diebus *Hora X.* monstraturum flores, sequimini, decerpente eos, gestate, servate, atque bonum semper spargite odorem, quo aliquando cœlestem Paradisum implere & ornare valeatis. Cœterum hanc Tabulam Horti nostri Vestibulo, (quæ ex parte *Bononia* quoque legitur,) præfigo, atque sic Rivus claudio:

HORTI HVNNIANI CULTOR,  
 QVISQVIS ES,  
 HORTUS ESTO, UT HORTUM INGREDIARIS,  
 AUT INGRESSUS EVADE.  
 SERPENS HUC NULLUS, NULLUS CANIS VESTIGATOR  
 ACCEDAT,  
 DOLVS OMNIS EXSIT, OMNE VIRUS.

*Has ades Genio sacravimus, utere, quisquis  
 Hospes es, at lingua & moribus esto probis.  
 Uti cuique suis licet. Hac ne carpe, voluptas  
 Ingenua est animi quantulacunque mei.  
 Si qua forte iuvant oculos, ne parce Viator;  
 Quilibet hac uti commoditate potest.*














invenietur scientia in mulieribus, sive de intellectum id velint, sive quod verisimilius est, nisi acumine, qua tamen nulla audacior esset hyperbole, convincere erroris ac temerarii a-

XVI.

Illud interim, dum ad ipsum, quanquam admodum exemplorum recensum altera Dissertabit, monendum superest, cum nequidem adque sua arcana mulieres admittere velint suas res, vix esse, cur magnum aut qualemcunque eruditionis apparatus ab iisdem nobis promittat postquam, quam alieno sit animo tota gens Romana externa & literatura Graeca Latinaque non verum etiam Philosophia addiscenda, satis super si a Lusitanis, hodie certe, discedas, uti vix inter eruditissimos caetera Judaeos vel primae scientiae externae rudimenta teneat, neminiversato ignotum esse potest; magno quidem versionis ac salutis impedimento & singulari, vino justoque judicio, quo fieri solet, ut quae ipsos latine plerunque scribuntur, (non satis hac ratione instar clausorum Librorum, ut prae XXIX. n. 12. illis sint, quos nec evolvunt ac queunt, multominus intelligunt aut in animus longo majori suae nationis dedecore, quippe quolim toti terrarum orbi ad inveniendam disciplinacreta & excolenda eadem praeluxisse non posturum Doctorum est sententia scriptis haud proleto quintimo ab ipsismet Judaeis, quorum aliquis o & disciplinam Paganorum יניחו להם חכמי העברים



the scale towards document

a it-  
nge-  
uam  
vide-  
  
rum  
lice-  
egis-  
octo-  
fanæ  
tim,  
Cri-  
niori  
, &  
sque  
t sa-  
con-  
con-  
, di-  
ersus  
filio)  
o Es.  
gere  
; At  
tiam  
n fe-  
Viro-  
bata;  
tiam  
לקט